

CUIUS SUPRA AEGYPTO DIRECTA

38v

Clarissimis fratribus per Aegyptum domino militantibus Zepherinus Romanae  
urbis archiepiscopus. 1 |

5 Tantam a domino huius sanctae sedis et apostolicae ecclesiae fundatore et 2  
beato Petro principe apostolorum accepimus fiduciam, ut pro universali Christi  
sanguine redempta ecclesia impigro laboremus effectu et omnibus domino famu-  
lantibus succurramus et cunctis pie viventibus apostolica auctoritate opem fer-  
amus. Omnes, qui in Christo volunt pie vivere, necesse est, ut ab impiis et dissim-  
ilibus patiantur opprobria et dispiciantur tamquam stulti et insani, ut meliores et  
10 purgatiores efficiantur, qui temporalia bona perdunt, ut percipiant aeterna. Eorum  
vero despectio et irrisio in ipsos retorquebitur, qui eos affligunt et contumeliis  
afficiunt, cum et abundantia eorum in egestatem et superbia transierit in confu-  
sionem.

15 Nuntiatum est enim sedi apostolicae per apocrisiarios vestros quosdam fratrum 3 |  
nostrorum episcoporum videlicet ab ecclesiis et sedibus propriis pelli suaque eis  
auferrī supellectilia et sic nudos et exspoliatos ad iudicia vocari, quod omni rati-  
one caret, cum constituta apostolorum eorumque successorum et praecepta im-  
peratorum ac constitutiones legum idipsum prohibeant et apostolicae sedis auc-  
toritas vetet. Praeceptum est ergo in antiquis statutis episcopos eiectos atque suis  
20 rebus exspoliatos ecclesias proprias recipi et primo sua omnia eis reddi, et de-  
mum, si quis eos iuste accusare voluerit, aequo periculo facere iudices esse decer-  
nentes episcopos recta sapientes et in ecclesia convenientes, ubi testes essent sin-  
gulorum, qui oppressi videbantur, nec prius eos respondere debere, quam omnia  
sua eis et ecclesiis eorum legibus integerrime restituantur.

25 Nec mirum, fratres, si vos persequuntur, cum caput vestrum Christum 4  
dominum nostrum usque ad mortem sunt persecuti. Ipsae tamen persecutiones  
patienter portandae sunt, ut eius discipuli esse cognoscamini, pro quo et patimini.  
Unde et ipse ait: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. His fulti  
suffragiis non multum debemus timere opprobrium hominum neque eorum ex-  
30 probrationibus vinci, quoniam hoc nobis dominus iubet per Isaiaam prophetam  
dicens: Audite me, qui scitis iudicium, populus meus, in quorum cordibus lex  
mea est. Nolite timere opprobrium hominum et blasphemias eorum, ne timeatis  
considerantes, quod in psalmo scriptum est: Nonne deus requiret ista? Ipse enim  
novit abscondita cordis et cogitationes talium hominum, quoniam vanae sunt.  
35 Vana autem locutus est unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde et  
corde locuti sunt mala. Sed disperdat dominus universa labia dolosa et linguam  
magniloquam, qui dixerunt: Labia nostra a nobis sunt, quis noster dominus est?  
Nam si haec in memoria retinerent, minime ad tantam prosilerent iniquitatem.  
Non enim probabili et paterna doctrina hoc faciunt, sed ut suam exercean in ser-  
40 vos dei vindictam. Scriptum namque est: Via stulti recta in oculis eius. Et: Sunt  
viae, quae videntur homini iustae, novissima autem earum deducunt ad mortem.

Nos enim, qui haec patimur, iudicio dei haec reservare debemus, qui reddet 5  
unicuique secundum opera eius, qui etiam per ministros suos intonuit dicens:  
Mihi vindictam, ego retribuam. Vos enim in recta fide et opera ac bona voluntate

6 laboremus] *corrected from* laboramus 11 despectio] *corrected from* dispectio 14 enim] *in margin:*  
De accusationibus 20 sua] *corrected from* suo 26 sunt] *in margin:* vel sint 28 fulti] *corrected from*  
fultis 40 recta] *corrected from* recti

- succurrite vicissim, nec aliquis a supplemento fratris subtrahat manum, quoniam in hoc, ait dominus, cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Unde et ipse per prophetam loquitur dicens: Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum. Spirituali dico habitaculo et concordia, quae in deo est, et unitate fidei, huius delectabilis secundum veritatem inhabitaculi, quae videlicet in Aaron magis decorabatur, atque sacerdotibus induentes dignitatem sicut unguentum super caput principalem intellectum irrigans et usque ad ipsam extremam scientiam deducens. In hoc enim habitaculo benedictionem et aeternam vitam promisit dominus. Huius igitur propheticae vaticinationis meritum amplectentes praesentem fraternam syllabam exposuimus, nostra propter caritatem minime quaerentes aut quaesituri. Non enim detrahentibus bonum est detrudere aut palum secundum vulgarem fabulam excutere palam. Absit, non sunt nostra ista. Haec enim avertat divinitas. 45
- 6 Iusto iudicio dei datur plerumque peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius persequantur, ut qui spiritu dei iuvantur et aguntur, fiant per laborum exercitia clariores. Ipsis tamen, qui eos persequuntur et exprobrantur atque detrahunt, erit procul dubio vae. Vae, vae illis, qui detrahunt servos dei, quia detractio eorum ad eum pertinet, cuius ministerium agunt et vice funguntur. 50
- 7 | 39r Oramus autem ostium circumstantiae, qui neminem perire aut labiis suis pollui volumus, eorum moribus imponi et verbum minime nocivum concipere nec ore proferre. Unde et dominus per prophetam loquitur dicens: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Dominus omnipotens et huius unigenitus filius et salvator noster Iesus Christus hoc vobis tribuat incitamentum, ut omnibus fratribus quibuscumque tribulationum molestiis laborantibus viribus, quibus potestis, succurratis et eorum, ut dignum est, iniurias vestras aestimetis, maximum adminiculum eis verbis et factis praebeatis, ut eius discipuli inveniamini veri, qui fratres ut se omnibus diligere praecepit. 55 65 70
- 8 | Ordinationes vero presbyterorum et levitarum tempore congruo et multis coram adstantibus sollemniter agite et probabiles ac doctos viros ad hoc opus provehite, ut de eorum societate et adiumento plurimum gaudeatis.
- 9 Ponite indesinenter corda vestra in virtute dei et enarrate haec et cetera divina verba in progenies alteras, quoniam hic est deus noster in aeternum, et ipse reget nos in saecula. 75
- 10 Data VII Id. Novembris Saturnino et Gallicano cc. cons.